



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Friderici Forneri Theologiae Doctoris Canonici Ecclesiae  
Collegiatæ diui Stephani Bambergæ, De Temulentia  
Malo, Eiusque Remediis, Variis Item Scitu Iucundissimis,  
nec non vtilissimis de rebus, quæ in ...**

**Förner, Friedrich**

**Ingolstadii, 1603**

Cap. XXI. De nocturnis comessionibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45433**

poteris incolumem seruare, ni te clanculum sub-  
ducas, fugaque tibi consulas. Nam si moreris inter  
ip̄os, sensim attraheris ad bibendum largius, vn-  
de crapula consurget, quæ te sequenti die affe-  
ctum pessimè, diuexabit variis tormentis atque cru-  
ciatibus.

## CAPVT XXI.

*De nocturnis Commessionibus.*

**N**EC minori odio prosequendæ commessionio-  
nes, post cœnâ fieri consuetæ, quæ pestifera sua  
damnositate, non corpus modò, sed & animum tur-  
bant; vt per se clarum est, atq; vt vberius explicetur,  
non est vsus factò.

Turbant enim somnum, caput fumis replent, hu-  
morum putrefactiones inducunt, cerebrum concu-  
tiunt, neruos debilitant, omne corporis robur ener-  
uant. Animo quantum officiant, quid dicam? Ni &  
hîc quoq; ad perniciem comessatorum, omnes co-  
natus afferrent, mirum fortè non esset, tot earum af-  
fectas passim inueniri.

*Rom. 13.* Nec temerè sanè vetuit eas Apostolus cum dixit.  
*Non in comessionibus & Ebrietatibus*, fallendum  
tempus, quod ad operandam salutem, à Deo libera-  
liter nobis est concessum, atq; adedò nec effulsissimæ  
huiusmodi pergræcationes, vt à plerisq; fieri nunc  
assolet, & de Tiro Imperatore scribit Suetonius, ad  
mediâ noctem, cum familiaribus extendendæ. Stat  
immota illa Diui Pauli sententia, in comessatores  
lata. *Manifesta sunt opera carnis*, (inter quæ non infim-  
um locum tenent) *Ebrietatis commessiones, quæ  
prædixi vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt,  
regnum Dei non consequentur.* Non hæc sunt anilia  
deli-

diramenta, non Sicula quædam gerræ, vt putant, atque contemnuntur, à vinolentis, ea nihil facinoribus, sed verba sunt, ab ipso Dei spiritu dictata. Quare olim experimento discent, quod nunc vino madidi, temerè, magno salutis propriæ neglectu, vana atq; irritum ducunt terriculamentum.

In communi quidem omnibus planè sunt vitæ comesationes, præsertim verò iis, qui in Domini sortem adscripti sacris persæpè operantur, ac diuissima pertractant mysteria. Nam vt benè Gratianus in decreto, *Si laicis Comesationes damnabiles sunt, multo magis sacerdotibus, imputantur ad gehennam; venter enim pinguis, vt ait Hieronymus ad Nepotianum, crassum sensum generat, cum sacerdotalis contra sensus vigil esse debeat, ac tenuis, atq; adeò huic vitio obnoxij, in sacerdotes vngi non debent.* Nec immeritò. Nam vt S. Gregorius ait. *Qui adhuc vitiorum bello subiacent, nequamquam per prædicationis vsum, præesse Magisterio ceterorum debent.*

*Comessationes potissimum clericis in concessa. Dist. 44. c. Finali.*

*L. 23. Moral. cap. 12.*

Laudandi demùm ij Rerumpublicarum administratores, qui, vt omnem comessandi luxum è Rebus publicis exterminent, sub noctem tabernas victarias claudi iubent, neminiq; potum amplius præberi; qua via, multos interdum intra frugalitatis fines coerceri, compertum est.

CAPVT XXII.

*Veterum ritus in diluendo vino.*

DE incredibilem Græcorum luxu, quem in miscendo vini potu adhibebant, sic scribit Ælianus. *Græci è nimio luxu, vinum vngueto preciosissimo miscerunt, bibebant, et supra quàm satis esset, aut necessitas postularet, hac mixtione utebatur.* Author est quoq; Andreas

*Mirifica miscendi vini apud Græcos illa celebræ. De natu-*